



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XX. De Conscientiâ dubiâ circa Sacramentum Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

copo. Ita D. Thom. 3. part. q. 72. art. 3. Sor. Victor. P. Henric. P. Toller. P. Laym. P. Soar. P. Pal. P. Bauny cit. dum asserunt, id esse de necessitate Sacramenti, ita ut Ecclesia non possit dispensare, ut Confirmatio fiat ex Chrismate non consecrato, aut consecrato ab alio, quam ab Episcopo; cum hæc potestas de jure Divino data sit solis Episcopis, ut constat ex Concil. Florent. sub Eugenio IV. ubi definitur materiam Confirmationis esse Chrisma ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto. Idem habetur in Concil. Wormatiensi cap. 2. Chrisma, ait, nullus conficere præsumat, præter Episcopum.

431. Oppositum docent Molfes in sum. tract. 4. cap. 1. num. 21. Palud. dist. 7. quest. 1. n. 19. & q. 4. n. 32. Capreol. ibid. q. 2. Estius in 4. dist. 7. S. 9. Caiet. 3. part. q. 72. art. 3. Victor quest. 45. & alii, quatenus affirmant, posse Ecclesiam dispensare, ut Confirmationis Sacramentum fiat ex Chrismate non consecrato, aut à simplici Sacerdote consecrato; siquidem simplici Sacerdoti competit consecrare hostiam, quod est magis; ergo etiam conficere Chrisma, quod est minus. Nihilominus argumentum non probat; alioqui etiam probaret, posse simplicem Sacerdotem confirmare, altaria sacrare, & similia, quæ etiam sunt minus, quam hostiam consecrare. Imò non posse Summum Pontificem simplici Sacerdoti hujusmodi consecrationem Chrismatis committere, cum sit de jure Divino solis Episcopis concessa, ut diximus, docent P. Soar. P. Filliu. P. Egid. P. Hurr. P. Henric. Vega, P. Laym. P. Bellarm. de Confirm. cap. 8. & alii cit.

432. Tertio sequitur, iterandam esse Confirmationem illius, saltem sub conditione, quin non est confirmatus in fronte, neque in modum Crucis; aut sine invocatione Sanctissimæ Trinitatis; siquidem, quod unctio fiat in fronte, est de necessitate Sacramenti, ut ex Concil. Florent. in decreto de Armenis, & ex cap. unico, de Sacra actione, colligunt, & tenent D. Thom. 3. p. quest. 72. art. 9. P. Bellarm. cap. 8. de Confirm. ubi hoc probat ex Innocentio I. Leone, & Joanne III. Gregorio I. & Concil. Hispal. 2. can. 7. Tertul. lib. de præscript. D. Cyrill. Careches. 3. & D. Aug. in psal. 141. ad illa verba: In via hac. P. Egid. P. Filliu. P. Soar. d. 33. sect. 3. P. Valent. P. Laym. P. Reginal. P. Pal. punct. 3. num. 3. P. Bauny, Dian. 9. p. tract. 8. ref. 30. & alii. Et quod fiat in modum Crucis, etiam est de necessitate Sacramenti, quia aliàs non verificaretur forma, cum dicitur: Signo te signo Crucis. Ita D. Thom. Victor. Sor. Ledesin. Gabr. Scot. P. Bellarm. P. Henric. P. Pal. P. Bauny, & alii cit. Quod autem debeat exprimi invocatio Sanctissimæ Trinitatis constat, tum ex Concil. Florent. ubi in formâ ab eo tradita exprimitur: tum etiam, quia Confirmatio est perfectio Baptismi; sed in forma Baptismi necessarium exprimitur; ergo & in forma Confirmationis. Ita P. Soar. P. Henric. P. Reginal. P. Egid. P. Filliu. & alii cit.

433. Quarto sequitur, cum de fide sit, necessariam esse aliquam formam in administrandâ Confirmatione, & hæc assignetur ex Concilio Florent. Signo te signo Crucis, & confirmo te Chriſmate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Quam dicunt à Christo Domino esse traditam, & ab Apostolis promulgatam, P. Henric. P. Soar. P. Pal. P. Egid. & alii; posse reiterari Confirmationem, saltem sub conditione, si quis confirmetur formâ non continente omnia prædicta verba. Ita D. Thom. quest. 72. art. 4. Palud. Scot. Sor. Alens. D. Bonav. Richard. P. Filliu. P. Hurr. P. Granad. P. Soar. d. 33. sect. 5. P. Pal. tract. 20. d. unica, punct. 5. num. 6. & alii; dum asserunt omnia prædicta verba esse essen-

tialia, & ad valorem Sacramenti requisita. Quamvis oppositum doceant Estius in 4. dist. 7. §. 10. Basil. 17. de Confirm. p. 2. cap. 7. & alii.

434. Dico 3. Reiterans Confirmationem, licet peccet mortaliter, nullam tamen incurrit irregularitatem. Ita Scot. in 4. dist. 7. quest. 3. Paludan. quest. 2. Sor. art. 5. P. Soar. d. 35. sect. 1. P. Filliu. P. Valent. d. 5. q. 1. punct. 4. Bonac. cit. punct. 4. num. 10. Vega, Grassi. Rodrig. & alii, quos citat, & sequitur Leand. tomo 1. tract. 3. d. 4. quest. 11. Probatur prima pars, quia huiusmodi Sacramentum ex vi suæ institutionis non est iterabile; ergo si quis tentet illud secundo recipere, irritum facit, acinane est, quidquid recipit; ergo graviter delinquit; grave enim delictum est, Sacramentum irritum, & inane recipere, aut administrare. Probatur secunda pars, quia irregularitas, cum sit odiosa, & pœnalis, non incurritur, nisi in casibus à jure expressis juxta cap. Is, qui, de sent. excommunic. Sed in jure nulla exprimitur pœna irregularitatis contra reiterantes Sacramentum Confirmationis; ergo &c.

435. Dices: Qui iteratò suscipit Baptismum, sit irregularis; ergo etiam, qui iteratò Confirmationem susceperit. Resp. negando consequentiam; diversa ratio est, quia contra reiterantes Baptismum est expressa pœna irregularitatis in jure, ut constat ex cap. Confirmandum, dist. 50. cap. Quod quidam, 1. q. 1. & cap. Qui bis, de Consecrat. dist. 4. non ita est expressa talis pœna contra reiterantes Confirmationem; irregularitas autem, nisi sit expressa, non incurritur.

436. Instabis: In Concilio Tarracon. cap. 6. ut referatur in cap. Dicitur est, de Consecrat. dist. 5. eodem modo prohibetur Confirmationis, quo Baptismi reiteratio, & eadem pœna pro utroque delicto imponitur; ergo &c. Respondeo cum P. Soar. cit. Primo, licet in cap. Dicitur est, cit. asseratur, sit ita esse malam, & prohibitam Confirmationis, sicut Baptismi iterationem, ibi tamen nullam irregularitatis pœnam imponi; ac proinde, nisi aliunde exprimeretur, fieri irregularem, qui iteratò Baptismum recipit, ex vi hujus cap. non fieret irregularis; sicque argumentum nihil probat. Secundo, pœnam illam in illo cap. Dicitur est; impositam, neque esse à summo Pontifice, neque ab aliquo Concilio Generali latam, sed à Concilio Tarracon. Provinciali; & deinde non esse usu receptam; sicque non incurritur, præsertim ante Judicis condemnationem.

SECTIO XX.

De Conscientiâ dubiâ circa Sacramentum Eucharistiæ.

437. **S**UPPONO primò, Eucharistiam esse Sacramentum, & à Christo Domino institutum, cum dixerit: Accipite, & manducate: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Matt. 26. Luc. 22. Luc. 14. Joan. 13. ut est de fide definitum in Concilio Florent. in decreto de Unione Armenorum. in Trid. sess. 7. can. 1. & sess. 13. cap. 2. 3. & 6. in cap. Firmiter, de Sum. Trinit. cap. Cum Martha, de Celebr. Missar. & cap. In Sacramentorum, de Consecrat. dist. 2. Fuisse à Christo Domino institutum anno ætatis suæ trigesimo-quarto inchoato, die Jovis, horâ secundâ noctis in ultimâ cœnâ, quam Dominus JESUS die illâ cum Discipulis suis celebravit, docent P. Soar. P. Vâsq. P. Filliu. P. Egid. P. Granad. P. Dicastil. quos citat & sequitur Leand. tomo 2. tract. 7. d. 1. à quest. 5.

Suppono

438. Suppono secundò, dari præceptum divinum sumendi Eucharistiam, ut colligitur ex illis verbis: Joan. 6. Nisi mâlucaveritis, &c. ut docent *D. Thom. q. 80. art. 11.* (licet contrarium olim tenuerit in 4. dist. q. 9. art. 1. q. 2. & dist. 12. q. 3. art. 3. q. 1.) *P. Sour. d. 69. sect. 1. P. Vaf. d. 213. cap. 2. P. Valent. d. 6. q. 8. punct. 4.* addens, jam nullum Catholicorum contrarium asserere. Hoc præceptum obligare omnes adultos baptizatos, non tantùm semel in vita, sed aliquoties, in articulo mortis, etiam si sit violenta, aut paulò antequam incideret in periculum mortis communicaverit, sive ex præcepto, sive ex devotione, docet cum pluribus aliis *Leand. cit. à q. 2. d. 2.* quamvis *P. Sour. P. Vaf. P. Egidi. P. Lugo;* & alii doceant, hoc præceptum obligare etiam non baptizatos, & Caiet. Palud. Ledesm. & Victor. solùm semel in vita; sicque non peccare mortaliter, qui in articulo mortis omittit Eucharistiam (secuslo contemptu,) si ad minus tempore Paschæ communicavit; ut videre est apud *Leand. cit.*

439. Suppono tertio, dari etiam præceptum Ecclesiasticum communicandi semel in anno, ut constat ex cap. *Omnis utriusque sexus, de penit. & remiss.* & ad illud non teneri infantes usu rationis carentes ex *Trid. sess. 21. cap. 4. & can. 4.* licet sint capaces fructus hujus Sacramenti, ut docent *P. Sour. d. 62. sect. 4. P. Vaf. d. 212. cap. 2. P. Lugo d. 13. n. 10.* qui etiam affirmant, non teneri ad hoc præceptum statim, ac annos discretionis attigerint, sed prius obligari præcepto confessionis, cum pervenerint ad usum rationis, & postea præcepto communionis ab anno duodecimo; quod si non observent in Paschate, non incurrunt poenâ canonis, neque ligantur censuris ante pubertatem, ut tenent *P. Sour. P. Sa. P. Vaf. Dian. Joan. Sanch. & cum illis Leand. tom. 2. tr. 7. d. 2. q. 9.*

440. Suppono quarto, dari etiam præceptum, non divinum, ut docet *Sor. in 4. dist. 8. q. 3.* sed Ecclesiasticum jejunii naturalis ad communionem, ut habetur in Concil. Carthagini. 3. *cap. 29. & 48.* in Brachar. 2. *cap. 10.* Toletan. 7. *can. 2.* & in Constantiens. *sess. 13.* & docent *P. Vaf. d. 211. cap. 1. P. Sour. d. 68. sect. 3. P. Lugo d. 15. Dian. p. 8. tract. 1. Resol. 89.* sicque peccare mortaliter, qui post sumptam etiam minimam quantitatem cibi communicaret; si quidem in jejuniis Eucharistico non datur parvitas materiæ excusans à peccato mortali, ut docent *P. Sour. cit. Leand. tom. 2. tr. 7. d. 2. q. 3.* & alii apud illos.

441. Suppono quinto, ad Eucharistiæ sumptionem necessariò requiri statum gratiæ, ut contra Hæreticos nostri temporis definitum est in *Trid. sess. 13. cap. 7. & can. 11.* & clarè constat ex illo 1. *Cor. 11. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.* ut docent *D. Thom. q. 80. art. 4. P. Sour. d. 96. sect. 1. P. Vaf. d. 205. cap. 1. P. Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 17. & 18.* sicque peccare mortaliter, qui indigno ministrat Eucharistiam, quam quis debet negare peccatori publico, & excommunicato, sive publicè, sive occultè petat, & dummodò non sit in articulo mortis, ut docet *P. Sour. d. 77. sect. 2.* licet etiam tunc denegandam esse dicant *P. Henric. lib. 3. cap. 56. Ledesm. de Euchar. cap. 12.* Imò denegandam esse etiam peccatori occultè petenti sive à Parocho, sive à quocumque alio Sacerdote, tenent *D. Thom. in 4. dist. 9. art. 5. P. Sour. cit. sect. 3.* qui tamen contrarium dicit *sect. 4.* si publicè petat, & sine infamia denegari non possit.

442. Suppono sexto, Christum Dominum instituisse hoc Sacramentum sub certa materia, & sub certa forma; sicque materiam remotam (de hac enim

loquimur) Corporis esse solum panem triticeum, & materiam Sanguinis esse solum vinum ex vite confectum; ut est de fide definitum in Concil. Florent. in *Litteris unionis*, in *Trid. sess. 13. can. 2. & sess. 21. & 22. Lateran. cap. Firmiter de sum. Trinit. Brachar. 3. cap. 1. Carthag. 3. cap. 24.* & aliis, quæ videri possunt apud *P. Sour. d. 45. & seqq. P. Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 10.* Formam verò, quæ consecratur Corpus, esse: *Hoc est Corpus meum;* & quæ consecratur Sanguis, esse: *Hic est Sanguis meus;* quibus verbis usum fuisse Christum Dominum in institutione hujus Sacramenti, colligitur ex Concil. Florent. cit. & *Trid. sess. 13. cap. 1. D. Thom. D. Bonav. Scot. Durand. P. Henric. P. Sour. d. 58. sect. 1. P. Vaf. d. 187. P. Valent. P. Granad. tr. 8. d. 1.* & alii, quos citat, & sequitur *Leand. tom. 2. tr. 7. d. 9. q. 1.*

Ex hæcenus dictis constat, ad susceptionem Eucharistiæ necessariam esse certam dispositionem corporis, nempe jejuniium naturale, & certam dispositionem animæ, nempe statum gratiæ: & ad illius consecrationem necessariam esse certam materiam, & certam formam. De his omnibus aliquæ possunt excitari difficultates, quæ ad præsentem materiam attingere possunt. Sit igitur:

443. Difficultas 1. Utrum comedens, aut bibens in dubio, an sit post horam duodecimam, possit sequenti die communicare? Advertes, præsentem difficultatem posse excitari, ut supra diximus *n. 209.* Primò, quando comestio, aut potus est certus, dubitatur tamen, an fuerit post duodecimam noctis. Secundò, quando non dubitatur de tempore, quia jam certò constat, insonuisse duodecimam noctis, sed solum dubitatur de cibo, aut potu, ut cum quis ad lavandum se horâ matutinâ, aquam assumit ad abluendum os, dubitat tamen, an aliquid degluerit. Tertio, quando quis reputans ut omninò certum, esse ante duodecimam noctis, comedit, postea verò manè incipit dubitare, an post mediam noctem comederit. Quarto, quando quis comedit post auditam horam duodecimam noctis in uno horologio, sed antequam in alio insonuerit. Quintò, quando quis comedit post auditum primum horologii pulsus, sed antequam ultimus ejusdem horologii pulsus insonuerit.

De his ferè omnibus diximus jam supra; nam de primo diximus supra à *num. 209.* De secundo, cum nihil supra dixerimus, infra dicemus *458.* De tertio etiam ibi egimus à *num. 218.* De quarto diximus *num. 223.* Et tandem de quinto diximus *n. 224.*

Nihilominus circa hoc ultimum, licet dixerimus, horam duodecimam compleri, cum primus horologii pulsus sonuerit, sicque debere, qui crastino voluerit communicare, aut celebrare, statim in prima pulsatione à cibo, aut potu cessare, si unicum sit horologium, ut eum communiori sententia tenent Doctores ibi citati, & etiam *Trullench. lib. 3. decal. cap. 2. dub. 4. n. 9. P. Fagon. P. Lugo d. 15. n. 37. Dian. & alii:* posse tamen manducare, & bibere usque ad ultimam pulsationem horæ duodecimæ, & sequenti die communicare, est satis probabile, imò ut probabilius id tenet *Leand. tom. 2. tr. 7. d. 5. q. 7.* citans pro se *Dian. p. 6. tract. 6. resol. 34. P. Bresser. de Conscient. lib. 4. cap. 11. n. 107. Narbon. tom. 2. Flora 12. num. 13. Pasqualig. in decis. Moral. tract. de jejuniis, decis. 338. P. Dicastil. tr. 4. d. 9. dub. 7. q. 1. n. 265. Thom. Hurt. tom. 2. tract. 11. cap. 3. n. 86.* & alios apud *Dian. p. 10. tr. 13. resol. 54.* ubi tenet oppositum.

Probatum primò, quia licet potest quis comedere, & bibere, & die sequenti communicare, si

solū comedat, & bibat usque ad mediā noctis signum; sed hoc non datur usque ad ultimum pulsū duodecim; siquidem horologium, ut omnes fatentur, est testis nobis indicans, quānam hora diei, aut noctis sit; hoc autem indicare nequit, nisi per determinatos, & assignatos pulsus; sicquē quousque hi sint duodecim, non potest nobis mediam noctem indicare; ergo &c.

448. Probatur secundò, quia quamdiu hora duodemanoctis non est completa, potest quis comedere & bibere, & sequenti die communicare; sed hora duodecima, licet ad primum pulsū sit physice, non est tamen moraliter completa; sic enim completur ad ultimum pulsū; nam moraliter completur, ut est nobis signum; est autem nobis signum per duodecim pulsationes in morali acceptione; ergo &c. Confirmatur, quia hora moraliter sumpta, ut communiter reputatur, non incipit à primo pulsū, cum hic sit indifferens ad hanc, aut illam horā, sed ab ultimo, qui determinat horam præcedentem, & durat usque ad ultimū horæ sublequentis; siquidem experientia constat, quando quis post mediam noctē Sabbathi vult carnes comedere, expectare ultimum pulsū horæ duodecim; ergo hæc moraliter durat usque ad ultimum pulsū; ergo usque ad illum poterit quis licite comedere, & bibere, & sequenti die communicare.

449. Probatur tertio, quia quando ultimus quadrans ad duodecimam horam signatur per quatuor pulsus, potest quis comedere, & bibere à primo pulsū quadrantis usque ad primum pulsū horæ duodecimæ, & sequenti die communicare; siquidem quatuor pulsus leniores ultimi quadrantis, & primus pulsus major horæ duodecimæ, possunt moraliter computari pro unico tempore, ut admittunt Adversarii; ergo etiam à primo pulsū majori horæ duodecimæ usque ad ultimum poterit quis comedere, & bibere, & sequenti die communicare, quia omnes illi duodecim pulsus possunt pro unico tempore moraliter computari.

450. Dicent cum *P. Lugo cit.* horam esse finitam, & medium noctis designari ad primum pulsū ex quatuor ultimi quadrantis, quia ex illo puncto incipit tempus horæ sequentis. Sed contra primò, quia id est contra communem, & moralem omnium computationem; siquidem medium noctis ab omnibus computatur finito cursu horologii designantis tempus; horologium autem adhuc currit à primo pulsū ultimi quadrantis usque ad primum ipsius horologii pulsū; ergo adhuc moraliter non computatur, neque designatur medium noctis. Secundò, quia, ut fatentur *Trullench. & Diana cit.* piè credi potest de piētissimā Matre Ecclesiā, nolle ob tam breve, & quasi imperceptibile tempus privare fideles sacrā communionē; ergo idem credi poterit in nostro casu.

451. Probatur quartò, quia quando sunt duo horologia diversa, potest quis, postquam aliquod eorum duodecimam horam insonuerit, per spatium unius quadrantis, aut dimidium horæ comedere, & bibere, & sequenti die communicare, si à comestione, aut potatione cessavit, antequam aliud horologium insonuerit, ut ferè omnes fatentur; ergo etiam sic poterit comedere & bibere, quando fuerit unum tantum horologium, à primo ejus pulsū usque ad ultimum, in quo perfecte, & complete designatur medium noctis, & sequenti die communicare; mirum quidem videtur primum admittere, & non secundum, minùs enim absonum videtur, quod homo per spatium, quo insonuerint duodecim pulsus, quàm quod per spatium unius integri quadrantis comedat, & bibat, & sequenti die communicet.

452. Dicent: Ecclesiam ad sumptionem Eucharistiæ

petere jejunium naturale; sed hoc dari non potest, nisi eam susceperit sit jejunus toto tempore physico antecedenti ejus susceptionem; non autem est ita jejunus, si post inceptam horam primā illius diei comedit, & bibit; ergo &c. Sed contra, quia Ecclesia, quæ tale jejunium præcipit, illud præcipit juxta signa moralia, nempe juxta computationem temporis per horologia; hæc autem non indicant horam determinatam per primum, imò potius per ultimum pulsū, ut diximus; sicque qui ante illum comedit, & bibit, cum id faciat ante inceptum diei sequentis juxta moralem computationem, non frangit jejunium naturale illius diei, poteritque in illo communicare.

Utrum autem possit quis sequi unum horologium quoad jejunium Ecclesiasticum, & aliud quoad jejunium naturale, ita ut, auditā horā duodecimā noctis unius horologii, possit cenare, & carnes comedere, cum hodie fuerit dies jejunii, & postea auditā duodecimā alterius horologii, possit servare jejunium naturale, & communicare die sequenti? Respondet cum distinctione, aut enim post cenam cognoscitur error in primo horologio: aut unicuique manet sua probabilitas: Si primum, poterit secundum horologium sequi, & jejunio servato, sequenti die communicare, quia verè est jejunus, & elus carnum in præcedenti die jejunii fuit per errorem inculpabilis ob ignorantiam: Si secundum, videtur etiam idem dicendum, dummodo ab initio non habuerit illum animum, sed bonā fide secutus fuerit primum horologium, postea verò audito secundo, mentem mutaverit.

Hæc tamen negant *Diana p. 10. tract. 15. resol. 29. Narbon. tomo 2. hora 12. num. 22. Leand. tomo 2. tr. 7. d. 5. quaest. 6.* & non facile esse concedendum dicit *P. Lugo de Sacram. Euch. d. 15. sect. 2. num. 48.* sequeretur enim: Primò, si quis habeat facultatem celebrandi post mediam noctem, posse, audito primo horologio, celebrare, & postea adhuc secundo horologio, iterum, illo audito, celebrare; siquidem juxta hoc secundum non celebravit hac die, sed præcedenti. Secundò, posse, audito primo horologio, prandere in Quadragesima pro die sequenti, sequens opinionem, quod anticipatio comestionis non sit peccatum mortale: postea verò, audito secundo horologio, se illi conformare, & ex tunc computare diem jejunii, ut posset horā soliti iterum prandere. Tertio, qui non dum solvit officium Divinum, prævidens parum abesse, ut sonet hora duodecima in primo horologio, posse se conformare secundo, sciens se habere spatium à primo ad secundum, ut officium recitet: postea verò, cum jam primum insonuerit, huic primo se conformare, sicque liberum se judicare ab onere recitandi, eo quod transacta sit dies præcedens juxta probabilem opinionem primi horologii; ac proinde ita se gerens singulis diebus, posse ab onere recitandi se liberare pro tota vita, quæ omnia sunt absurda non admittenda.

Hinc est, quod licet regulariter loquendo, liberum sit unicuique amplecti ex duabus sententiis probabilibus, quam voluerit, eam tamen, quam amplectitur, debet retinere, quamdiu de ejus improbabilitate non constat, quoties libera facultas variandi sententiam resultat in præjudicium tertii, qui eo modo fraudaretur jure suo, quod certum, & non probabile, habet ad aliquid exigendum. Cum igitur in casu proposito superior ex vi duplicis præcepti habeat jus certum, ut post comestionem hodiernam homo nihil comedat ante communionem crastinam, quo jure fraudaretur, si homo juxta primum

primum horologium cœnet post mediam noctem, & juxta secundum celebret cras, non debet ei concedi talis libertas, sed eò ipsò, quòd primum horologium accepit, debet illud pro regula habere, quamdiu de ejus errore non constat, & à celebratione, sive à communione abstinere, ne superior fraudetur jure suo, quod certum habet ex completionem utriusque præcepti simul sumpti, ut homo nihil comedat ante communionem crastinam, post prandium, aut refectiunculam ferotinam.

456. Confirmatur exemplis: Primò, debes v. g. Petro dare ex justitiâ singulis diebus decem aureos, ita ut si intra diem non solvas, nihil debeas pro illa die, neque duplum pro die sequenti, imminente jam duodecimâ horâ noctis exigit Petrus suum jus, respondes tamen, sequor aliud horologium, quo audito, mutatâ sententiâ, dicis, sequor magis primum, sicque transactâ omnino die præteritâ, nihil debeo; hæc quidem variatio tibi non licet; alioqui absque peccato posses per totum annum nihil Petro solvere, mutatâ singulis diebus sententiâ eodem modo. Secundò, sit duplex sententiâ probabilis, altera dicens hodie, altera cras jejunandum, non poteris hodie amplecti sententiâ crastinam, & hodie non jejunare, & simul cras amplecti sententiâ hodiernam, & cras non jejunare; alioqui stante lege certa obligante ad jejunium, posses absque peccato illud omittere.

457. Dices: Mutans locum liberatur à jejunio, si hodie sit Londini, ubi cras est jejunium Ulyssipone, & cras sit Ulyssipone, quando non ibi, sed Londini est jejunium; ergo etiam sic poterit liberari, qui modò unum, modò aliud horologium accipit pro regula designante diem. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia homo in primo casu mutatione loci sit liber à præcepto, quatenus nunquam fuit debitor, eoque neque Londini, neque Ulyssipone inveniatur tale præceptum: at verò in secundo casu comprehenditur præcepto exigente ab illo jejunium, cum autem sit certa lex exigens jejunium, licet non sit certum tempus, pro quo obliget, non poterit homo absque inobedientia, & peccato illud non solvere.

SECTIO XXI.

Aliqua circa præcedentem Sectionem resolvuntur, & elucidantur.

458. **D**IFFICULTAS 2. Utrum dubius, non de tempore, an scilicet comederit, aut biberit post mediam noctem, sed de comestione, aut potatione, an scilicet aliquid comederit, aut deglutierit, possit nihilominus communicare? In utroque casu affirmant P. Laym. lib. 1. tr. 1. cap. 5. §. 4. num. 36. Joan. Sanch. in Select. d. 42. per totam. Dianap. 3. tr. 4. resol. 29. & plures ex illis, quos supra citavimus num. 212. contra quos ibi egimus quoad primam partem præsentis difficultatis, nunc autem quoad secundam. Affirmandum cenfeo cum P. Lugo. d. 15. de Euchar. sect. 2. num. 43. & videntur tenere omnes, quos supra citavimus num. 212. Probatur, quia in dubiis melior est conditio possidentis, quod non solum in materia justitiæ, sed etiam aliarum virtutum supra admittimus, & docent P. Soar. tomo 2. de Relig. lib. 2. cap. 33. num. 7. & lib. 4. cap. 5. num. 7. & tom. 5. d. 4. sect. 15. n. 15. & sect. 6. P. Sanch. lib. 1. de Matrim. d. 9. n. 11. & lib. 1. decal. cap. 10. n. 36. & alii; sed homo in proposito eventu ante dubium possidebat

suam libertatem ad suscipiendam Eucharistiam, ergo propter dubium superveniens non debet illâ privari; alioqui jus dubium vinceret jus certum, quod non est dicendum; ergo non obstat tali dubio, poterit homo communicare.

Dices: Certus de comestione, & dubius de tempore, an scilicet comederit post mediam noctem, non potest sub eò dubio communicare, prout supra diximus; ergo neque sic poterit certus de tempore, & dubius de comestione, an scilicet aliquid deglutierit. Resp. cum P. Lugo cit. negando consequentiam, cujus diversam rationem sumendâ dicit ex foro externo, & judiciali, in quo considerari debet, cuiam incumbat onus probandi, ille enim debet, deficiente probatione, & dubio manente, condemnari, & adversarius absolvi. Cum igitur in præsentî casu petenti communionem opponatur, non esse jejunum, ideòque ei negetur communicatio, potest ille negare, se non esse jejunum, & tunc onus probandi incumbit, non ipsi, sed adversario; dum autem manet dubium, an aliquid deglutierit, nihil contra ipsum probatur, sicque debet absolvi à non jejunio, poteritque communicare, cum habeatur jejunus, dum factò examine, non scit, se aliquid sumpsisse: at verò quando scit, se comedis, dubitat autem, an fuerit post mediam noctem, videtur probandi onus ad ipsum spectare, quod si non probet, comedis ante mediam noctem, cadit à suo jure, & non poterit communicare.

Patet exemplo, quia si debeo tibi dare singulis diebus unum aureum, & jam tibi hodie dedi, tu verò petis à me alterum, quando dubitatur, an sit jam altera dies, debes id probare; alioqui non habes jus, ut petas, quia de solutione hodierna constat, de crastino autem debito non constat, quamdiu non probas alterum diem; ergo eodem modo se res habet in priori casu, in quo constat de comestione, dubitatur autem de tempore, ut consideranti patebit: non ita verò in præsentî, in quo dubitatur de comestione; huic enim homini nihil potest opponi, per quod amiserit jus ad communicandum eadem die, nisi comestio, de qua non constat, probetur; non autem probatur, quamdiu manet dubium de tali comestione.

Instabis: Qui accedit ad Eucharistiam non jejunus, peccat; sed qui accedit dubitans, an sit jejunus, etiam peccat; siquidem exponit se periculo accedendi non jejunus, ac proinde periculo peccandi, quod est peccatum; ergo &c. Respondeo negando minorem: solum enim datur præceptum, nè quis certò sciens, se non esse jejunum, accedat ad Eucharistiam; sicque dubitans de jejunio, factâ diligentia, non peccat accedendo, quia non accedit certus de non jejunio, quod solum præcipitur. Patet in illo, qui dubitat de valore matrimonii, potest enim reddere, imò & petere in multorum opinione post adhibitam diligentiam; & tamen licet petendo, & reddendo exponat se periculo accedendi ad non suam, non se exponit periculo peccandi; siquidem fornicatio solum committitur, ubi quis accedit ad eam, quam certò scit, non esse suam, non autem ad eam, de qua dubitat, constante aliàs matrimonio bona fide inito, & factâ sufficienti diligentia de valore matrimonii, ut docet P. Sanch. lib. 2. de Matrim. d. 41. n. 53.

Urgebis: In dubiis tutior pars est eligenda, ut est expressum in reg. jur. sed tutius est abstinere illo die ab Eucharistia, quam accedere; siquidè in primo nullum est periculum; in secundo autem datur periculum accedendi non jejunus; ergo &c. Resp. dato etiam eò periculo, non teneri hominem abstinere